

*doctrinae de peccato, eiusque expiatione per mediatorum, quem Christum esse credebant Corinthii, solidum ei argumentum ad demonstrandam veritatem mortis ipsius suppeditauerit. Quod porro ex scripturarum confirmat analogia, quae doceat non in umbris tantum & figuris sacrificiorum V. T. pro peccatis, sed tot disertis etiam locis, moriendum esse ei, qui, sponsor pro peccato, eiusdem reatum sit extincturus. Sed haec ex fidei & Scripturarum analogia desumpta sunt argumenta, quibus succedit illud, quod ex sensuum deducitur experimento: Scilicet ἔθαψεν & sepultus est. Nempe verac mortis evidentissima demonstratio sepultura est, quam proinde etiam illa euentia communiuit prouida Dei in demonstrando Christo seruatore cura, ut in dubium vocari non possit. Custoditur Corpus Christi in crucem sublatum a Romanis militibus ad vesperam vsque; ei tum mortuo partes vitales rumpuntur, ne quid se in iis contineat spiritus. Componunt illud Iosephus & Nicodemus, viri graues, atque prudentes, qui umbram se catacumbae non inferre possent iudicare, multo minus spiritu animatum corpus. Custodiunt sepulcro appositi triduo tempore autoritate Iudaeorum milites, ipsorum partibus in isto negotio addicti. Hisque adeo ita se habentibus omnibus, quis non dicat cum maximo Taurinensi: Sepultus est, ut qui vere mortuus: & cum Petro Chrysologo, Symbolum explicante catechumeno, in quo similiter mors & sepultura coniunguntur: Sepultum dicis, ut veram carnem Christi mortemque non perfunctoriam probet confessio sepulturae.*

In Symb. Hom.  
p. 239.

In Symb. Serm.  
68. p. 35.

S. V. Sic igitur ex vera morte Christi, vera quoque